

PROPRIUM MISSARUM

IN USUM CLERI

DIŒCESEOS VICTORIENSIS VENETORUM

ILLUSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI

D. D.

JOSEPHI CARRARO

EPISCOPI VICTORIENSIS

JUSSU EDITUM



VICTORIÆ VENETORUM

Ex officina typographica Seminarii Episcopalis

1957

Concordat cum exemplaribus approbatis

Ad normam Decreti Generalis S. Congregat. Rituum « De
Rubricis ad simpliciore formam redigendis » 23 martii 1955.

Victoriae Venetorum, die 1 Julii 1957

CAN. ANGELUS MASCHIETTO CENS.

Imprimatur

Victoriae Venetorum, die 10 Julii 1957

† JOSEPHUS. EPISCOPUS



PROPRIUM MISSARUM

IN USUM CLERI

DICECESEOS VICTORIENSIS VENETORUM

FESTA DECEMBRIS

Die XIV.

S. Venantii Fortunati

Episcopis Confessoris.

Duplex

Introitus. Ps. 88, 20-22



xaltávi eléctum
de plebe mea:
óleo s a n c t o
meo unxi eum:
manus enim mea auxi-
liábitur ei, et bráchium
meum confortábit eum.

Ps. ib. Misericórdias
Dómini in ætérnum
cantábo.

V. Glória Patri.

Oratio. P

Præsta, quæsumus,
omnípotens Deus: ut
sicut pópulus tuus beáti
Antístitis Venántii For-
tunáti temporáli solem-
nitáte congáudet, ita
perfruátur ætérna; et
quod votis célebrat,
comprehéndat efféctu.
Per Dóminum nostrum.

Deinde comm. Feriæ.

Léctio Epístolæ beáti
Páuli Apóstoli ad He-
bræos. Hebr. 13, 7-17.

Mementóte præposi-
tórum vestrórum,
qui vobis locúti sunt

verbum Dei: quórum in-
tuéntes éxitum conver-
satiónis, imitámini fi-
dem. Jesus Christus
heri et hódie, ipse et in
sæcula. Doctrínis váriis
et peregrínis nolíte ab-
dúci. Optimum est enim
grátia stabilíre cor, non
escis, quæ non profué-
runt ambulántibus in
eis. Habémus altáre, de
quo édere non habent
potestátem, qui taber-
náculo desérviunt. Quo-
rum enim animálium
infértur sanguis pro
peccáto in Sancta per
Pontíficem, horum cór-
pora cremántur extra
castra. Propter quod et
Jesus, ut sanctificáret
per suum ságuinem
pópulum, extra portam
passus est. Exeámus
ígitur ad eum extra ca-
stra, impropérium ejus
portántes. Non enim
habémus hic manéntem
civitátem, sed futúram
inquírimus. Per ipsum

ergo offerámus hóstiam
láudis semper Deo, id
est fructum labiórum
confiténtium n ó m i n i
ejus. Beneficéntiæ au-
tem et communiónis
nolíte oblivísci: tálibus
enim hóstiis promeré-
tur Deus. Obedíte præ-
pósitis vestris, et subja-
cète eis: ipsi enim per-
vígilant quasi ratiónem
pro animábus vestris
redditúri: ut cum gáu-
dio hoc fáciant, et non
geméntes. Hoc enim
non expedit vobis.

Graduale. Eccli. 45, 8-9.
Dedit illi Dóminus sa-
cerdótium gentis, et bea-
tificávit illum in glória,
et circumcínxit eum
zona glóriæ, et induit
eum stolam glóriæ, et
coronávit eum in vasis
virtútis.

Ÿ. Act. 7, 38. Hic est
qui fuit cum pátribus
nostris, qui accépit ver-
ba vitæ dare nobis.

Allelúja, allelúja.

Y.Eccli.47,10. De omni corde suo laudávit Dóminum, et diléxit Deum, qui fecit illum, et dedit illi contra inimícos poténtiam. Allelúja.



Sequéntia sancti
Evangélíi secún-
dum Matthæum

Matth. 25, 14-23.

In illo tempóre: Dixit Jesus discíplis suis parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta; álii autem duo, álii vero unum, unicuíque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accé-

perat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniam dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum, et pósuit ratiónerum cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui. Accéssit autem et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium dómini tui.

Offertor. Eccli. 47, 12.
Dedit in celebratió-
nibus decus, et ornávit
tépóra usque ad con-
summatióem vitæ, ut
laudárent nomen san-
ctum Dómini.

Secreta P

Hóstias tibi, Dómine,
oblátas propítius
intuére, ut quod nostris
áctibus non merémur,
per eum, quem pópuli
tui Præsulem constitui-
sti, indesinéter largiá-
ris. Per Dóminum.

Deinde Comm. Feriæ.

Communio. Ps. 26, 6.
Immolávi in taberná-
culo Dómini hóstiam
vociferatiónis: cantábo,
et psalmum dicam Dó-
mino.

Postcommunio P

Cælésti pane repléti,
te, Dómine, depre-
cámur, ut trádita a beá-
to Venántio Fortunáto

legis tuæ documénta
misericórditer córdibus
nostris inscribas. Per
Dóminum.

Deinde Comm. Feriæ.

FESTA JANUARIi

Die XVI.

S. Titiani Ep. et Conf.

Patr. Princ. Civ. et Diœc.

Duplex 1. cl.

Introitus. Eccli. 45, 30



tátuit ei Dómi-
nus testamén-
tum pacis, et
príncipem fecit
eum: ut sit illi sacerdó-
tii dígnitas in ætérnum.

Ps. 131, 1. Meménto,
Dómine, David; et om-
nis mansuetúdinis ejus.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio P

Propitiáre, quæsumus
Dómine, nobis fámuli-
lis tuis per sancti Titiá-
ni Confessóris tui atque

Pontíficis mérita gloriósa, ut ejus pia intercessióne ab ómnibus protegámur advérsis. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44 et 45.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiæ factus est reconciliátio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in plebem suam. Benedictiónem ómnium gén-tium dedit illi et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit gratiam coram óculis Dómini. Magnificávit eum in

conspéctu regum: et dedit illi corónam glóriæ. Státuit illi testaméntum ætérnum, et dedit illi sacerdótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére láudem in nómine ipsíus, et offére illi incensum dignum in odórem suavitátis.

Graduale. Eccli. 44,16.

Ecce sacérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

℣. ibid., 20. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja.

℣. Ps. 109, 4. Tu es sacérdos in ætérnum, secúndum ór-dinem Melchisedech. Allelúja.



Sequéntia sancti
Evangélíi secúndum
Matthæum

Matth. 25, 14-23.

In illo témpore: Dixit
Jesus discí-pulis suis

parábolam hanc: Homo péregre proficíscens, vocávit servos suos, et trádidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talénta, álii autem duo, álii vero unum, unicuítque secúndum própriam virtútem, et proféctus est statim. Abiit autem qui quinque talénta accéperat, et operátus est in eis, et lucrátus est ália quinque. Simíliter et qui duo accéperat, lucrátus est ália duo. Qui autem unum accéperat, ábiens fodit in terram, et abscóndit pecúniám dómini sui. Post multum vero témporis venit dóminus servórum illórum et pósuit ratiónem cum eis. Et accédens qui quinque talénta accéperat, óbtulit ália quinque talénta, dicens: Dómine, quinque talénta tradidísti mihi, ecce ália quinque superlu-

crátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidelis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui. Accéssit et qui duo talénta accéperat, et ait: Dómine, duo talénta tradidísti mihi, ecce ália duo lucrátus sum. Ait illi dóminus ejus: Euge, serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidelis, super multa te constitúam: intra in gáudium dómini tui. Credo.

Offertorium. Ps. 88, 21-22. Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliábitur ei, et brachium meum confortábit eum.

Secreta. C

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubíque lætíficent: ut, dum

eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóm.

Commun. Luc. 12, 42. Fidélis servus et prudens, quem constituit dóminus super famíliam suam: ut det illis in témpore trítici mensúram.

Postcommunio. C
Præsta, quæsumus, omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beato Titiano Confessóre tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóm.

FESTA MARTII

Die IX.

**B. Mariæ Virginis
a Miraculis de Motha**

Duplex 2. cl.

Introitus Hebr. 4, 16.



deámus cum fiducia ad thronum grátiae, ut misericórdiam

consequámur, et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.

Ps. 120, 1. Levávi óculos meos in montes: unde véniet auxílium mihi.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio.

Dómine Jesu Christe, noster apud Patrem mediátor, qui beatíssimam Vírginem matrem tuam, matrem quoque nostram et apud te Mediátricem constitúere dignátus es: concéde propítius; ut quisquis ad te benefícia petitúrus accésserit, cuncta se per eam impetrásse lætétur: Qui vivis.

In Quadrag. Comm. Feriæ.

Pro S. Francisca Romana Vid.

Oratio. P

D Deus, qui beátam Francíscam famu-

lam tuam, inter cétera grátiae tuæ dona, familiári Angeli consuetúdine decorásti: concéde quæsumus; ut intercessiónis ejus auxílio, Angelórum consórtium cónsequi mereámur. Per Dóm.

Léctio Isaíæ Prophétæ
Is. 55, 1-3 et 5.

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas: et qui non habétis argéntum, properáte, émite et comédite: veníte, émite absque argénto, et absque ulla commutatióne vinum et lac. Quare appénditis argéntum non in pánibus, et labórem vestrum non in saturitáte? Audíte audiéntes me, et comédite bonum, et delectábitur in crassitúdine ánima vestra. Inclínate aurem vestram, et veníte ad me: audíte et vivet ánima vestra. Ecce gentem,

quam nesciébas, vocábis: et gentes quæ te non cognovérunt, ad te current propter Dóminum, Deum tuum, et Sanctum Israel, quia glorificávit te.

Graduale. Eccli. 24. 25-26. In me grátia omnis viæ et veritátis, in me omnis spes vitæ et virtútis.

Ÿ. Transíte ad me, omnes qui concupíscitis me, et a generatióibus meis implémini.

Tractus. Ap. 22, 16-17. Ego sum radix et genus David, stella spléndida et matutína.

Ÿ. Et spíritus et sponsa dicunt: Veni; et qui audit, dicat: Veni.

Ÿ. Et qui sitit, véniat: et qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

Ante Septuagesimam, vel post Pentecosten, dicto Graduali, omitti-

tur Tractus, et eius loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

Ÿ. Salve, Mater misericórdiæ, Mater spei et grátia, o María. Allelúja.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Allelúja, allelúja.

Ÿ. Is. 60. 4. Leva in circúitu óculos tuos, et vide: omnes isti congregáti sunt, venérunt tibi. Allelúja.

Ÿ. Fílii tui de longe vénient, et fíliæ tuæ de látere surgent. Allelúja.



Sequéntia sancti Evangélíi secúndum Joánnem.

Jo. 19, 25-27.

In illo témpore: Stabant juxta crucem Jesu mater ejus, et soror matris ejus María Cléophæ, et María Mag-

daléne. Cum vidísset ergo Jesus matrem et discípulum stantem, quem diligébat, dicit matri suæ: Múlier, ecce fílius tuus. Deínde dicit discípulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accépit eam discípulus in sua. Credo.

Offertor. Jer. 18, 20.

Recordáre, Virgo Mater, dum stéteris in conspéctu Dei, ut loquáris pro nobis bona, et ut avértat indignatió nem suam a nobis.

Secreta

Matris tuæ ac Mediátrícis nostræ precibus, Dómine, quæsumus: hæc hostiárum oblátio nosmetípsos, tua grátia largiénte, tibi perficiat munus ætérnum: Qui vivis.

In Quad. comm. Feriæ.

**Pro S. Francisca
Romana Vid.**

Secreta. C

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio pro tuórum honóre Sanctórum: quórum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxiliúm. Per Dóminum.

Præfatio. Et te in Festivitate.

Commun. Esth. 15, 17. Valde mirábilis es, o María, et fácies tua plena est gratiárum.

Postcommunio.

Subvéniat nobis, Dómine, beátæ Mariæ matris tuæ ac nostræ, Mediatrix orátio: ut per hæc sacrosáncta commércia, tua grátia largiénte, ad redemptiúnis æternæ proficiámus augméntum: Qui vivis.

In Quad. comm. Feriæ.

**Pro S. Francisca
Romana Vid.**

Postcommunio. C

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventiône nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

FESTA MAJI

Die XII.

**Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ
Virg. atque Pancratii Mm.**

Duplex

**Missa propria ut in
Missali.**

FESTA JUNII

Die I.

**Translationis S. Titiani
Ep. et Conf., Civit. et Dioec.
Patr. princip.**

Duplex 2. cl.

**Missa Státuit, de Comuni C. P., præter
Orat. seq.**

Oratio. P

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Titiani Confessoris tui atque Pontificis veneranda Translatio, et devotiónem nobis áugeat, et salútem. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Angela Mericia Virg.

Oratio. P

Deus, qui novum per beatam Angelam sacrarum Vírginum colégium in Ecclesia tua floréscere voluísti: da nobis, ejus intercessióne, angélicis móribus vívere; ut, terrénis ómnibus abdicátis, gaudiis pérfrui mereámur ætérnis. Per Dóminum.

Secreta. C

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætifícent: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Angela Mericia Secreta. P

Hóstia, Dómine, quam tibi beátæ Angelæ memóriam recólentes offérimus, et nostræ pravitatís véniam implóret, et grátiae tuæ nobis dona concíliet. Per Dóminum.

Postcommunio. C

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Titiano Confessore tuo atque Pontífice, benefícia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Angela Mericia

Postcommunio. P

Cælésti alimónia refécti, súpplíces te, Dómine, deprecámur: ut, beátæ Angelæ précibus et exémplo ab omni labe mundáti, et corpore tibi placeámus et mente. Per Dóminum.

FESTA JULII

Die XII.

**Ss. Hermagoræ Ep.
et Fortunati Diac. Mm.**

Duplex

Missa Intret, de Comuni plurimorum Mart. præter Orat. seq.

Oratio. P

Deus, qui nos hodierna die beatórum Mártyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti múltiplici facis celebritáte gaudére: tríbue, quæsumus, eórum nos semper piis defensióibus muníri, et oratióibus adjuvári. Per Dóm.

Pro S. Joanne Gualberto Abb.

Oratio. C

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Joánnis Abbátis coméndet; ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur.

Pro Ss. Mm. Nabore et Felice.

Oratio. P

Præsta, quæsumus Dómine; ut sicut nos sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis natalítia celebránda non déserunt, ita júgiter suffrágiis comiténtur. Per Dóminum.

Secreta. P

Múnera humilitátis nostræ, quæ pro sanctórum Mártyrum tuórum Hermágoræ et Fortunáti gloriósa passióne et solemnitáte oférimus, quæsumus Dómine cleméntiam tuam, respícere dignáre: et ipsórum intercessióne tam ad proféctum vitæ, quam ánimæ salutária nobis consuéta miseratione proveníre concéde. Per Dóminum.

Pro S. Joanne Gualberto Abb.

Secreta. C

Sacris altáribus, Dómine, hóstias superpósitas Sanctus Joánes Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat.

Pro Ss. Mm. Nabore et Felice.

Secreta. P

Múnera plebis tuæ, quæsumus Dómine, sanctórum Mártyrum tuórum Náboris et Felícis fiant grata suffrágiis: et, quorum triúmphis tuo nómini offerúntur, ipsórum digna perficiántur et méritis. Per Dóminum.

Postcommunio. P

Suméntes, Dómine, Scæléstis dona Mystérii, quæsumus: ut sanctórum Mártyrum

tuórum Hermágoræ et Fortunáti adjuvémur méritis, quorum solemnitátem celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Joanne Gualberto Abb.

Postcommunio. C

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Joánes Abbas, pro nobis intercedéndo: ut, et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiόνis percipiámus suffrágia.

Pro Ss. Mm. Nabore et Felice.

Postcommunio. P

Natalítiis Sanctórum tuórum, quæsumus Dómine: ut sacraménti múnere vegetáti, bonis, quibus per tuam grátiā nunc fovémur, perfruámur ætérnis. Per Dóminum.

Die XV.

SS. Redemptoris.

Duplex 2. cl.

Introitus. Is. 61, 10.



audens gaudébo in Dómino, et exsultávit ánima mea in Deo meo: quia índuit me vestiméntis salútis, et induménto justítiæ circúmdedit me.

Ps. 88, 1. Misericórdias Dómini in ætérnum cantábo: in generatió-nem et generatió-nem.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio.

Deus, qui Unigénitum tuum mundi Redemptórem constituísti, et per eum devícta morte nos misericórditer ad vitam reparásti: concéde: ut, hæc beneficia recoléntes, tibi perpétua caritáte adhærere, et ejúsdem Redemptiónis fructum per-

cípere meréamur. Per eúmdem Dóminum.

Pro S. Henrico Imp. Conf.

Oratio. P

Deus, qui hodiérna die beátum Henrícum Confessórem tuum e terréni cúlmine impérii ad regnum ætérnum transtulísti: te súpplices exorá-mus; ut sicut illum grátiae tuæ ubertáte prævéntum, illécebras sæculi superá-re fecísti, ita nos fá-cias, ejus imitatió-ne, mundi hujus blandiménta vitá-re, et ad te puris méntibus pervení-re. Per Dóminum.

Léctio Epístolæ beáti Páuli Apóstoli ad Ephésios. Eph. 1, 3-9.

Benedíctus Deus, et Pater Dómini nostri Jesu Christi, qui benedíxit nos in omni benedictió-ne spirituáli,

in cæléstibus in Christo, sicut elégit nos in ipso ante mundi constitutió- nem, ut essémus sancti et immaculáti in conspéctu ejus in caritáte. Qui prædestinávit nos in adoptiόνem filiórum per Jesum Christum in ipsum, secúndum propósitum voluntátis suæ, in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificávit nos in dilécto Fílio suo. In quo habémus redemptiόνem per sánguinem ejus, remisió- nem peccatórum, secundum divítias grátiae ejus, quæ superabundávit in nobis in omni sapiéntia et prudéntia: ut notum fáceret sacraméntum voluntátis suæ, secúndum beneplácitum ejus, quod propósuit in eo.

Graduale. Ps. 85, 9-10.

Omnes gentes, quas- cúmque fecísti, vénient

et adorábunt coram te, Dómine: et glorificábunt nomen tuum.

Ÿ. Quóniam magnus es tu, et fáciens mirabília: tu es Deus solus.

Allelúja, allelúja.

Ÿ. Ps. 73, 12. Deus autem, Rex noster ante sæcula: operátus est salútem in médio terræ. Allelúja.



Sequéntia sancti
Evangélii secún-
dum Joánnem.

Joan. 3, 13-18.

In illo témpore: Díxit Jesus Nicodémo: Nemo ascéndit in cælum, nisi qui descéndit de cælo, Fílius hóminis, qui est in cælo. Et sicut Móyses exaltávit serpéntem in desérto, ita exaltári opórtet Fílium hóminis; ut omnis, qui credit in ipsum, non péreat, sed hábeat vitam ætérnam. Non enim mi-

sit Deus Fílium suum in mundum, ut júdicet mundum; sed ut salvétur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non judicátur: qui autem non credit, jam judicátus est: quia non credit in nómine Unigéniti Fílii Dei. Credo.

Offertorium. Salus pópuli ego sum, dicit Dóminus: de quacúmque tribulatione clamáverint ad me, exáudiam eos, et ero illórum Deus in perpétuum. Allelúja.

Secreta.

Súscipe, quæsumus Dómine, oblátum Redemptionis æternæ mystérium: et præsta; ut, Unigéniti Fílii tui gloriósis méritis intercedéntibus, vivíficet nos semper et múniat. Per eúndem Dóminum.

Pro S. Henrico Imp. Conf.

Secreta C

Laudis tibi, Dómine, hostias immólamus in tuórum commemoratióne Sanctórum, quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus, et futúris. Per Dóm.

Præfatio de Cruce.

Communio. Ps. 106, 8.

Confiteántur Dómino misericórdiæ ejus, et mirabília ejus fíliis hóminum. Allelúja.

Postcommunio.

Córpore tui sacri, ac pretiósí Sánguini, quo redémpti sumus, Dómine Jesu Christe, partícipes effécti: quæsumus, ut in nobis tua múnere tueáris, atque a præsentis vitæ malis eréptos ad bona perdúcas sempitérna. Qui vivis.

Pro S. Henrico Imp. C.

Postcommunio. C

Refécti cibo potúque cælésti, Deus no-

ster, te súpplices exorámus: ut, in cujus hæc commemoratione percépimus, ejus muniámur et précibus. Per Dóminum.

FESTA AUGUSTI

Die XVIII.

S. Rochi Confessoris.

Duplex majus

Missa Justus, de Comuni Conf. non Pont., præter Orat. seq.

Oratio. P

Pópulum tuum, quæsumus Dómine, continúa pietáte custódi: et beáti Rochi suffragántibus méritis, ab omni fac ánimæ et córporis contagióne secúrum. Per Dóminum.

Pro S. Agapito M.

Oratio. P

Lætétur Ecclésia tua, Deus, beáti Agapíti Mártiris tui confísa suffrágiis: atque, ejus

précibus gloriósis, et devóta permáneat et secúra consístat. (Per Dóminum).

Secreta. C

Præsta nobis, quæsumus, omnípotens Deus: ut nostræ humilitátis oblátio, et pro tuórum tibi grata sit honóre Sanctórum, et nos córpore páriter et mente puríficet. Per Dóminum nostrum.

Pro S. Agapito M.

Secreta. P

Súscipe, Dómine, múnera, quæ in ejus tibi solemnitate deférimus: cujus nos confídimus patrocínio liberári. (Per Dóminum).

Postcommunio. C

Quæsumus, omnípotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beáto Rocho Confessóre tuo, per hæc contra

omnia adversa muniámur. Per Dóminum.

Pro S. Agapito M.

Postcommunio. P

~~Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventione nos réfove, cujus solémnia celebrámus. (Per Dóminum).~~

Die XXVI.

S. Augustae Serravallensis

Virg. Mart.

Duplex

Missa Loquébar, de Comm. Virg. et Mart., præter Orat. seq.

Oratio. P

Omnípotens et miséricors Deus, qui étiam in sexu frágili virtútem tuam, et in ténera ætáte grátiae tuæ divítias ostendísti: concede propítius; ut qui beátæ Augústæ Vírginis et Mártiris tuæ natalí-

tia cólimus, ejus apud te præsídiis adjuvémur. Per Dóminum.

Pro S. Zephirino Pp. M.

Oratio. C

Gregem tuum, Pastor æéterne, placátus inténde: et per beátum Zephirínum Mártirem tuum, atque Summum Pontíficem, perpétua protectione custódi; quem totíus Ecclésiæ præstitísti esse pastórem. Per Dóminum.

Secreta. C

Súscipe, Dómine, múnера, quæ in beátæ Augústæ Vírginis et Mártiris tuæ solemnitáte deférimus: cujus nos confídimus patrocinio liberári. Per Dóminum.

Pro S. Zephirino

Secreta. C

Oblátis munéribus, quæsumus, Dómine, Ecclésiám tuam be-

nígnus illúmina: ut, et gregis tui proficiat ubique succéssus, et grati fiant nómini tuo, te gubernánte, pastóres. Per Dóminum.

Postcommunio. C

Auxiliéntur nobis, Dómine, sumpta mystéria: et, intercedénte beáta Augústa Vírgine et Mártire tua, sempitérna fáciant protectione gaudére. Per Dóminum.

Pro S. Zephirino

Postcommunio. C

Refectione sancta enutrítam gubérna, quæsumus, Dómine, tuam placátus Ecclésiám: ut poténti moderatione dirécta, et incrementa libertátis accípiat; et in religiónis integritáte persístat. Per Dóminum.

FESTA SEPTEMBRIS

Die I.

B. Julianæ de Collalto Virginis.

Duplex

Missa Dilexísti, de Comm. Virg., præter Orationes sequentes.

Oratio. P

Deus, qui dispositione mirábili beátam Juliánam Vírginem tuam, a prima ætáte grátiae ubertáte prævéntam, mira innocéntia et contemplatiónis dono decoráre dignátus es: ejus méritis et intercessióne concéde; ut tibi in terris fide et caritate conjúcti, ad contemplándam in cælis spéciem tuæ pulchritúdinis perducámur. Per Dóm.

Pro S. Ægidio Abb.

Oratio. C

Intercéssio nos, quæsumus Dómine, beáti Ægídi Abbátis com-

méndet: ut, quod nostris méritis non valémus, ejus patrocínio assequámur. Per Dóminum.

Pro Ss. Duodecim Fratr. Mm.

Oratio. P

Fratérna nos, Dómine, Mártyrum tuórum coróna lætíficet: quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtútum, et múltiplici nos suffrágio consolétur. Per Dóm.

Secreta. C

Accépta tibi sit, Dómine, sacrátæ plebis oblátio, pro tuórum honóre Sanctórum: quórum se méritis de tribulatióne percepísse cognóscit auxiliúm. Per Dóminum.

Pro S. Ægidio Abb.

Secreta. C

Sacris altáribus Dómine, hóstias superpósitas sanctus Ægídus

Abbas, quæsumus, in salútem nobis proveníre depóscat. Per Dóminum.

Pro Ss. Duodecim Fratr. Mm.

Secreta. P

Mystéria tua, Dómine, pro sanctórum Mártyrum tuórum commemoratióne devótamente tractémus: quibus nobis et præsidium crescat et gáudium. Per Dóminum.

Postcommunio. C

Satiásti, Dómine, famíliam tuam munéribus sacris: ejus, quæsumus, semper interventióne nos réfove, cujus solémnia celebrámus. Per Dóminum.

Pro S. Ægidio Abb.

Postcommunio. C

Prótegat nos, Dómine, cum tui perceptiósne sacraménti beátus Ægí-

dius Abbas pro nobis intercedendo: ut, et conservatiónis ejus experiámur insígnia, et intercessiόνis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Pro Ss. Duodecim Fratr. Mm.

Postcommunio. P

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut quorum memóriam sacraménti participatióne recólimus, fidem quoque proficiendo sectémur. Per Dóminum.

Die XXVI.

Dedicationis Ecclesiae Cathedralis

(anno Domini 1824 peracta, hac die)
Duplex 1. cl. pro tota Diœc.

Missa Terríbilis, de Communi Dedic. Eccl., ut in Missali (extra Cathedr. omittantur verba parenth in orat. Secreta).

FESTA OCTOBRIS

Die VI.

S. Magni Ep. Opitergiensis et C.

Patroni minus Princ. Diœc.

Duplex majus

Missa Státuit de Com. Conf. Pont., præter Orat. seq.

Oratio P

Adésto, Dómine, supplicatió nibus nostris: et beáti Magni Confessóris tui atque Pontíficis intercessiόνibus confidéntes; nec minis adversántium, nec ullo conturbémur incúrsu. Per Dóminum.

Pro S. Brunone C.

Oratio. P

Sancti Brunónis Confessóris tui quæsumus, Dómine, intercessiόνibus adjuvémur: ut, qui majestátem tuam gráviter delinquendo offéndimus, ejus méritis et précibus, nostró-

rum delictórum véniam consequámur. Per Dóminum.

Secreta. C

Sancti tui, quæsumus, Dómine, nos ubique lætíficet: ut, dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum.

Pro S. Brunone

Secreta. C

Laudis tibi, Dómine, hóstias immolámus in tuórum commémoratióne Sanctórum: quibus nos et præsentibus éxui malis confídimus et futúris. Per Dóminum.

Postcommunio. C

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Magno Confessóre tuo atque Pontífice, benefí-

cia potióra sumámus. Per Dóminum.

Pro S. Brunone

Postcommunio. C

Quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui cæléstia aliménta percépimus, intercedénte beato Brunóne Confessóre tuo, per hæc contra ómnia advérsa muniámur. Per Dóminum.

Die X.

Ss. Gereonis et Sociorum Mm.

Duplex

Introit. Eccli. 44, 15 et 14



apiéntiam sanctórum narrent pópuli, et laudes eórum nuntiet ecclésia: nómina autem eórum vivent in sæculum sæculi.

Ps. 32, 1. Exsultáte, justi, in Dómino: rectos decet collaudátio.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio. C

Deus, qui nos concédís sanctórum Martyrum tuórum Gereónis et Sociórum ejus natalítia cólere: da nobis in æténa beatitúdine de eórum societáte gaudére. Per Dóminum.

Pro S. Francisco Borgia Conf.

Oratio. P

Dómine Jesu Christe, veræ humilitátis et exémp lar et præmium: quæsumus; ut, sicut beátum Francíscum in terréni honóris contémp tu imitatórem tui gloriósum effecísti, ita nos ejúsdem imitationis et glóriæ tríbuas esse consórtes: Qui vivis.

Léctio Libri Sapiéntiæ.

Sap. 5, 16-20

Justi autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces

eórum, et cogitatio illórum apud Altíssimum. Ideo accípient regnum decóris, et diadéma speciéi de manu Dómini: quóniam délixtera sua teget eos, et bráchio sancto suo deféndet illos. Accípient armatúram zelus illíus, et armábit creatúram ad ultiónem inimicórum. Induet pro thoráce justítiam, et accípient pro gálea judícium certum. Sumet scutum inexpugnábile, æquitátem.

Graduale. Ps. 123, 7-8. Anima nostra, sicut passer, erépta est de láqueo venántium. V. Láqueus contrítus est, et nos liberáti sumus: adjutórium nostrum in nómine Dómini, qui fecit cælum et terram.

Allelúja, allelúja. V. Ps. 67, 4. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.



Sequéntia sancti
Evangélíi secún-
dum Matthæum.

Matth. 10, 23-28.

In illo témpore: Dixit
Jesus discíplis suis:
Cum persecuéntur vos
in civitáte ista, fúgite in
aliám. Amen dico vobis,
non consummábitis ci-
vitátes Israël, donec
véniat Fílius hóminis.
Non est discípus su-
per magístrum, nec ser-
vus super dóminum
suum. Súfficit discípulo,
ut sit sicut magíster
ejus: et servo, sicut
dóminus ejus. Si pa-
tremfamilias Beélzebub
vocavérunt: quanto
magis domésticos ejus?
Ne ergo timuéritis eos.
Nihil enim est opértum,
quod non revelábitur:
et occúltum, quod non
sciétur. Quod dico vo-
bis in ténebris, dícite
in lúmine: et quod in
aure audítis, prædicáte
super tecta. Et nolíte

timére eos, qui occídunt
corpus, ánimam autem
non possunt occídere:
sed pótius timéte eum,
qui potest et ánimam
et corpus pérdere in
gehénnam.

Offertorium. Ps. 149, 5-6.

Exsultábunt sancti in
glória, lætabúntur in
cubílibus suis: exalta-
tiones Dei in fáucibus
eórum, allelúja.

Secreta. C

Múnera tibi, Dómine,
nostræ devotiónis
offérimus: quæ et pro
tuórum tibi grata sint
honóre justórum, et
nobis salutária, te
miseránte, reddántur.
Per Dóminum.

Pro S. Francisco Bor-
gia Conf.

Secreta. P

Sacris altáribus, Dó-
mine, hóstias super-
pósitas sanctus Francí-

scus, quæsumus, in salutem nobis provenire depóscat. Per Dóminum.

Communio. Luc. 12, 4.

Dico autem vobis amicis meis: Ne terreámini ab his, qui vos persequúntur.

Postcommunio. C

Præsta nobis, quæsumus, Dómine: intercedéntibus sanctis Martyribus tui Gereóne et Sóciis ejus; ut, quod ore contíngimus, pura mente capiámus. Per Dóminum.

Pro S. Francisco Borgia Conf.

Postcommunio. C

Próteget nos, Dómine, cum tui perceptióne sacraménti beátus Francíscus, pro nobis intercedéndo: ut et conversatiónis ejus experiámur insígnia, et inter-

cessiónis percipiámus suffrágia. Per Dóminum.

Die XXII.

Dedicationis Ecclesiarum consecr. totius Civitatis et Dioec.

(excepta Cathedrali)

Duplex 1. cl.

Missa Terríbilis, de Communi Dedic. Eccl., ut in Missali.

FESTA NOVEMBRIS

Die V.

Sacrarium Reliquiarum

sive Ss. quorum Corpora
vel Reliquiæ

in Eccl. Dioec. asservantur.

Duplex majus

Introitus. Ps. 33, 20-21.



Multæ tribulatió-
nes justórum,
et de his ómni-
bus liberávit
eos Dóminus: Dóminus
custódit ómnia ossa eó-
rum: unum ex his non
conterétur.

Ps. ibid. Benedícam
Dóminum in omni témpore: semper laus ejus
in ore meo.

Ÿ. Glória Patri.

Oratio.

Auge in nobis, Dómine, resurrectionis fidem, qui in Sanctórum tuórum reliquiis mirabilia operáris: et fac nos immortalis glóriæ partícipes, cujus in eórum cinéribus pignora venerámur. Per Dóminum.

Léctio libri Sapiéntiæ.

Eccli. 44, 10-15.

Hi viri misericórdiæ sunt, quorum pietates non defuérunt: cum sémine eórum permanent bona, hæreditas sancta nepótes eórum, et in testaméntis stetit semen eórum: et filii eórum, et glória eórum non derelinquétur. Córpora ipsórum in pace

sepúlta sunt, et nomen eórum vivit in generationem et generationem. Sapiéntiam ipsórum narrent pópuli, et láudem eórum nuntiet Ecclésia.

Graduale. Ps. 149, 5. Exsultábunt sancti in glória: lætábuntur in cubílibus suis.

Ÿ. Cantáte Dómino cánticum novum: laus ejus in ecclésia sanctórum. Allelúja, allelúja.

Ÿ. Ps. 67, 4. Justi epuléntur, et exsúltent in conspéctu Dei: et delecténtur in lætítia. Allelúja.



Sequéntia sancti
Evangélii secúndum Lucam.

Luc. 6, 17-23.

In illo témpore: Descéndens Jesus de monte, stetit in loco campéstri et turba discipulórum ejus, et

multitudo copiosa plebis ab omni Judæa, et Jerúsalem, et marítima, et Tyri, et Sidónis, qui vénerant ut audírent eum, et sanaréntur a languóribus suis. Et qui vexabántur a spirítibus immúndis, curabántur. Et omnis turba quærébat eum tángere, quia virtus de illo exíbat, et sanábat omnes. Et ipse, elevátis óculis in discípulos suos, dicébat: Beáti páuperes: quia vestrum est regnum Dei. Beáti, qui nunc esurítis: quia saturabímini. Beáti, qui nunc fletis: quia ridébítis. Beáti éritis, cum vos óderint hómines, et cum separáverint vos, et exprobráverint, et ejécerint nomen vestrum tamquam malum, propter Fílium hóminis. Gaudéte in illa die, et exsultáte: ecce enim

merces vestra multa est in coelo.

Offertor. Ps. 67, 36. Mirábilis Deus in sanctis suis: Deus Israël ipse dabit virtútem et fortitúdinem plebi suæ: benedíctus Deus. Allelúja.

Secreta.

Implorámus, Dómine, cleméntiam tuam; ut Sanctórum tuorum, quorum relíquias venerámur, suffragántibus méritis, hóstia, quam offerimus, nostrórum sit expiatio delictórum. Per Dóminum.

Communio. Ps. 32, 1. Gaudéte justi in Dómino: rectos decet colaudátio.

Postcommunio.

Multiplica super nos, quæsumus Dómine, per hæc sancta, quæ sumpsimus, misericórdiam tuam: ut sicut in

tuorum solemnitate
Sanctorum quorum reliquias colimus, pia devotione lætāmur, ita eorum perpétua societate, te largiente, fruāmur. Per Dóminum.

Die VII.

S. Prosdócimi Ep. et Conf.

Duplex

Missa Státuit, de Comuni Conf. Pont. præter Orat. seq.

Oratio. P

Deus, qui nos beāti Prosdócimi Confessoris tui atque Pontificis ministério ad agnitionem tui sancti nominis vocāre dignātus es: concéde propítius; ut

cujus solémnia colimus, etiam patrocínia sentiāmus. Per Dóminum.

Secreta. P

Hóstias, Dómine, laudis tuis altáribus adhibémus: quas ejus tibi patrócínio crédimus commendādas, cujus nos voluísti ad tuæ pietátis misericórdiam pervénire. Per Dóm.

Postcommunio. P

Beāti Prosdócimi Confessoris tui atque Pontificis, Dómine, précibus confidentes, quæsumus cleméntiam tuam: ut per ea, quæ sumpsimus, æténa remédia capiāmus. Per Dóminum.

M. G. Smith

Q

INDEX

MENSE DECEMBRI:

14. S. Venantii Fortunati Episcopi et Confessoris Pag. 3

MENSE JANUARIO:

16. S. Titiani Ep. et Conf. Patroni Princ. Civitatis et Dioceseos . . . » 6

MENSE MARTIO:

9. Beatæ Mariæ Virginis a Miraculis de Motha » 9

MENSE MAJO:

12. Ss. Nerei, Achillei et Domitillæ Virg. atque Pancratii Mm. . . . » 12

MENSE JUNIO:

1. Translationis S. Titiani Ep. et Conf. Patroni Princ. Civit. et Diœc. . . » 12

MENSE JULIO:

12. Ss. Hermagoræ Ep. et Fortunati Diac. Mm. » 14

15. SS. Redemptoris » 16

MENSE AUGUSTO:

18. S. Rochi Confessoris, Patr. minus princ. Dioceseos » 19

26. S. Augustæ Serravallensis Virginis et Martyris » 20

MENSE SEPTEMBRI:

1. Beatæ Julianæ de Collalto Virginis » 21

26. Dedicationis Ecclesiæ Cathedralis » 23

MENSE OCTOBRI:

6. S. Magni Ep. Opitergiensis et Conf., Patr. minus princ. Dioceseos . . » 23

10. Ss. Gereonis et Sociorum Mm. » 24

22. Dedicationis Ecclesiarum consecr. totius Civit. et Diœc. » 27

MENSE NOVEMBRI:

5. Sacrarum Reliquiarum quæ in Diœc. Eccl. asservantur » 27

7. S. Prodocimi Episcopi et Confessoris » 30

